DE PLURIBUS MARTYRIBUS.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus omnípotens Deus : ut qui gloriósos Mártyres fortes in sua confessióne cognóvimus ℣ pios apud te in nostra intercessióne sentiámus : Per.

Alia Oratio.

DEUS, qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum N. et N. natalítia cólere ℣ da nobis in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére : Per.

DE PLURIBUS MARTYRIBUS PONTIFICIBUS.

Oratio.

INFIRMITATEM nostram, quæsumus Dómine, propítius réspice ; et mala ómnia, quæ juste merémur ℣ sanctórum Mártyrum tuórum atque Pontíficum N. et N. intercessióne avérte : Per.

℟ Si contingat fieri in j. Vesperis plures Memorias de aliis pluribus Martyribus Antiphonas proprias non habentibus,

Pro prima Memoria dicatur Antiphona Abstérget., ut in ij. Vesperis ad Magnificat.

Pro secunda Memoria dicatur Antiphona Justórum autem ánimæ., ut in ij. Vesperis super Psalmos.

Pro tertia Memoria dicatur hæc Antiphona :

Ant. viij. toni.



MARTYRES Dómini Dóminum benedícite in ætérnum.

℟ Dicta Antiphona ut supra, si de pluribus Martyribus Ordinis Prædicatorum fiat Memoria, sequitur

℣. Ora pro nobis beáte N. cum Sóciis tuis. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi. Et repetatur, mutato nomine, si in Vesperis occurrerit alia Memoria de pluribus Martyribus Ordinis Prædicatorum.